

vina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliaque charitatis opera exercentur; ac etiam ut nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio et ex certa scientia, auctoritate Apostolica hac nostra perpetuo vilitura constitutione statuimus, et ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius concilii mente fuisse colligimus, patriarchas, archiepiscopos et episcopos praefatos assignatione portionis ipsis vicariis perpetuis, ex praedicto concilio ipsorum praetorum arbitrio facienda, ita se continere et arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur; nisi vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo seu alia re stabili portio hujusmodi constituatur, cujuscunque valoris parochialis ecclesia unita fuerit, et habita etiam ratione reddituum et onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit, ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, et scutorum quinquaginta hactenus assignatae, vel in posterum forsitan assignandae, quoad excessum et defectum hujusmodi nullius roboris et momenti existant, et ad summas praedictas reductae et auctae respective censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitae, habita ratione (ut praefertur) minor sit quinquaginta sculis, quo casu portio assignata vel assignanda vicario perpetuo, non debeat excedere summam annuam valoris dictae parochialis, sed sufficiat, quod omnes fructus ejus duntaxat attribuuntur ipsi vicario perpetuo. Et quoniam iniquum esset, eos, qui commodis privantur, eadem onera, quae prius sustinebant, debere sufferre; volumus et statuimus, quod ecclesiae, monasteria, collegia, beneficia, et pia loca hujusmodi, in quorum parochialibus ecclesiis unitis continget vicarias praedictas erigi pro quantitibus fructuum ipsis vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quinquenniorum, quam Nobis et camerae Apostolicae solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quae de fructibus dictarum parochialium percipiuntur. Ita tamen quod vicarii perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere a Sede Apostolica novam provisionem suae deputationis, et solvere annuam pro portione fructuum, reddituum et proventuum certorum sibi assignata, et expedire litteras Apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum vicariarum perpetuarum, et servitium earundem parochialium admitti possint, nisi soluta annata, et expeditis litteris Apostolicis novae provisionis, ut praefertur, alioquin integrum quinquennium solvi debere, nec vicarii praedicti antea tuta conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam

ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum vicariorum praevio examine et approbatione deputentur. Et si dictae parochiales unitae erunt monasteriis regularium mendicantium, possint a superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus; quos si ordinarii praevio examine per se, aut eorum vicarios faciendos, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in regularibus monachis tantum, dummodo in ea parochiali, in qua unus ex eis monachis fuerit, servata forma praedicta, vicarius deputatus; habitent cum eo saltem quatuor annis ex dictis monachis. Sicque per quoscunque, etc. Non obstantibus, » etc.

(2. Est tamen hic advertendum, (ut etiam notat hic supra Lucius noster n. 16) quod dum praedicta constitutio ait, hujusmodi congruam intelligi, computatis etiam certis emolumentis et incertis, ejus sensus est de illis incertis, quae habent quandam certitudinem, ut sunt decimae frumenti et vini, deque aliis fructibus, emolumentis et obventionibus, quae penes vicarium sunt incerta, quantum ex illis percipere possit; non autem hoc est intelligendum de omnino incertis, ut sunt eleemosynae altaris, funeralium, et similia, quia ista non computantur in congruam, cum sint exigua, ac incerta, ac pendeant ex libera offerentium voluntate, ut fuit dictum in una *Burgen. Congrua apud Mantica*, decis. 268, n. 6; *Rot. decis. 5, n. 3, part. II, divers.*, ex hac ratione, quia venter non debet pendere ab incerto, cum non patitur dilationem, ut dicitur in una *Januen. Paroch. coram Coccino* 1 Jul. 1633, ubi subditur, quod licet quando congrua fuit semel a principio assignata, debeat vicarius illa esse contentus, tamen hoc non procedit, quando vicarius non potest se sustentare et sustinere onera ecclesiae; nam non agitur tunc de illius praedictio tantum, sed de praedictio ecclesiae et ordinis clericalis. Unde videmus, quod talis congrua, quandoque in erectione vicariae perpetuae factae a Papa, conceditur plus quam est assignata a Pio V, in dicta sua constitutione, nam in hujusmodi assignatione considerari debet locus, quantitas fructuum, qualitas personae, et similia. Ita in terminis Pyrrhus Corradus, *Prax. benefic.*, lib. IV, cap. 9, n. 23, 24.

(3. Est etiam advertendum, praedictam constitutionem Pii V, circa dictam portionem, esse in suo robore, quidquid nonnulli in contrarium opinati fuerint, cum verum sit, illam non fuisse revocatam per constitutionem Gregorii XIII, sub titulo *Relationis litterarum Pii V pro mendicantibus*. Et quod dicta constitutio Pii V non fuerit revocata, sed vigeat, jam fuit per dictam S. congregat. declaratum, et testatur Rota pe-

nes Cavaler. ubi quod revocatio intelligitur quoad parochiales unitas praedictas

VICARIUS URBIS

Haec porro ad rem notanda.

(1. Cardinalis vicarius est ordinarius Urbis. *Benedict. XIV*, tom. IV *Bull. constit.* 11 incip. *Ad audientiam*, § 16. Ejus jurisdictionis reducitur ad terminos reformationis Pauli V, et revocantur litterae *Bened. XIII* et *Clem. XII*. Idem tom. I, *constitut.* 44 incip. *Quantum*, § 4 et 22, ibi: « Ac demum indulta et facultates, necnon privilegia quaecunque, et praesertim super cumulativa in causis laicalibus, tribunali venerabilis Fratris nostri praedictae S. Romanae Ecclesiae Nostri, et Romani Pontificis pro tempore existentis in Urbe nostra, et ejusdem districti cardinalis vicarii competentia, et praesertim per litteras fel. record. Clementis X, quae *Supremae Majestatis* sub pridie Idus Augusti 1671 ac per alias *Benedicti XIII*, quae in *Supremo* sub XVI Kal. Septembris 1724, necnon per alias litteras Clementis XII, praedecessorum nostrorum, quae *Romanus Pontifex*, respective incipiunt novissime de anno 1733 promulgatas ad statum, in quo erant ante reformationem rec. mem. Pii Papae V, similiter praedecessoris nostri, et ad ejusdem reformationis tramites Apostolica auctoritate redigimus, necnon utriusque Clementis et Benedicti praedecessorum praedictorum litteras tenore praesentium abrogamus, et de medio in hac parte tollimus et abolemus. »

(2. Cardinali vicario Urbis competit jurisdictionis privativa in causis matrimonialibus Urbis, et in causis super institutione in beneficis in Urbe et districtu. Idem *constit.* 113 incip. *Romanae curiae*, § 20. (3. In causis civilibus contra clericos Romanos non exemptos, aut loca pia Urbis competit ei cumulativa cum solo A. C. cum loco praeventionis inter eos. Idem, *ib.*

(4. Item competit ei privativum jus interponendi decreta in contractibus et renuntiationibus regularium Urbis; idem, *ib.*, § 2. (5. In causis mercedis et scutorum xxv competit ei jurisdictionis contra quoscunque, non obstante obligatione camerale, uti competit etiam gubernatori Urbis. Idem, *ibidem*, § 24.

(6. Ejus jurisdictionis in causis laicalibus prorogari potest de consensu partium in actis expresse praestito. Idem, *ib.*, § 18. (7. Exceptis causis super executione obligationis camerale. Idem, *ibidem*, n. 19. (8. Nulla jurisdictionis competit ei in prima instantia in territoriis et diocesisibus aliorum ordinariorum in districtu Urbis, necnon intra quadragesimum lapidem existentibus. Idem, *ib.*, § 20. (9. Salvo jure exsequendi in illis citationes et mandata contra clericos sibi subjectos. Idem, *ib.*, § 21.

(10. Vicario Urbis S. R. E. cardinali injungitur, ut in deputatione confessoriorum extraordinariorum pro monasteriis et con-

mendicantibus. Pyrrh. Corrad., *ibid.*, num. 33, 34.

servatoriis ipsius Urbis Pontificis menti se conformet, et statutas leges a regularibus, aliisque observari curet. Idem, tom. II, *constit.* 30, incip. *Pastoralis curae*. (11. In ejusdem tribunali servari jubentur leges a Pontifice conditae de ordine tractandi causas super nullitate professionum regularium, quae intra quinquennium apud ordinarios judices promoveatur. Idem *constit.* 47, incip. *Si datam*.

(12. Vicarius Urbis tanquam praefectus congregationis super residentia episcoporum, facultatem ab Urbano VIII habet concedendi episcopis ex justis causis, licentiam abessendi per quadraginta dies. Idem, *constit.* 18, incip. *Ad universae*. (13. Vicarii Urbis promotor fiscalis, idem constituitur fiscalis promotor congregationis super residentia episcoporum cum jure suffragii consultivi. Idem, *ibid.*

(14. Vicarius Urbis commissiones pro causis criminalibus expedire potest expensis accusatoris, sive adhaerentis fisco; facto nimirum ab hoc congruo deposito pro viaticis et cibariis, et data fidejussione pro reliquo. Idem *constit.* 44, incip. *Rerum humanarum*.

(15. Deficiente autem accusatore seu adhaerente, commissiones expedire nequit, sed demandare debet inquisitoribus ordinariis ecclesiasticis locorum, seu aliis ibi existentibus in dignitate ecclesiastica constitutis. Idem, *ibidem*. (16. Quod si expedire videtur eas ex officio ab Urbe mittere, vel easdem injungere iudicibus extra locum delicti existentibus, reportare debebit commissionem specialem manu Papae signatam, et ab auditore Sanctissimi subscriptam, alias expensas solvat de proprio. Idem, *ibid.*

(17. Vicarius Papae tanquam Romani episcopi jurisdictionem habet ad quadragesimum ab Urbe lapidem, non tamen in loca aliarum diocesisum infra hos fines comprehensa, puta in diocesi Tusculana vel Nepesina, et hujusmodi. Idem, *De synodo diocesisana* lib. III, cap. 3, n. 2, et in cit. *constit.* incip. *Romanae curiae*, § 21. (18. Quamvis sex cardinales episcopi suburbicarii, Ostiensis nempe, Portuensis, Sabinensis, Tusculanus, Albanensis et Praerestinus, nisi proprium episcopum suffraganeum in sua quique diocesi habeant, aut in ea commorantes per semetipsos conferant, ad solum cardinalem Urbis vicarium dimittere possint suos subditos pro ordinibus suscipiendis; non propterea tamen cardinalis vicarius ullam sibi vindicare potest jurisdictionem in dictis suburbicariis diocesisibus. Idem, *ibid.*

(19. Potest tamen cardinalis vicarius Urbis concedere capellanis triremium Pontificiarum facultatem excipiendi in triremibus

in portu Centumcellarum, in Darsena, hujusque hospitio confessiones remigum, aliorumque in triremibus continue degentium. Idem, *ibid.*, ex decreto sacre congregationis Concilii 18 Aprilis 1722, jam allatum in tom. II, verb. *Capellanus militum* n. 14. Vide *ibi*. (20. Potest etiam pro libito cogere synodum diocesanam. Aliis vero vicariis non licet sine episcoporum licentia. Idem, *ibid.*, n. 2, 3, 4 et 5.

(21. Quoad cardinalis Urbis vicarii auctoritatem in externos Romæ degentes, et ad ordines promovendos, Clemens VIII decretum edidit, quo statuit, omnes externos in Urbe degentes, qui ad sacros ordines, sive minores, sive majores, promoveri cupiunt, etiamsi dimissorias litteras a suis ordinariis obtinuerint, quarum vigore a quocunque episcopo ordinarari possent, nihilominus neque his uti, neque sacros ordines extra Urbem suscipere posse, nisi antea examinati et approbati fuerint ab examinatore cardinalis Urbis vicarii, hujusque licentiam obtinuerint; idque sub pœna suspensionis, quam porro sequitur irregularitas, si ordinatus contra formam decreti, in susceptis ordinibus ministrare præsumperit. Clementis decretum editum fuit die 24 Novembr. anni 1603, deinceps instauratum ab Alexandro VII, sub die 25 Maii 1654. Cum vero postmodum nonnullæ obortæ fuerint quæstiones super decreti interpretatione, ac præcipue quædam censi deberent clerici externi in Urbe commorantes sub ipsius decreti censura comprehensi; et utrum eidem decreto obnoxii dicendi essent ii, qui postquam in Urbe per aliquod temporis spatium morati fuerint, non examinati a cardinalis vicarii examinatore, abscedunt, ut sacros ordines suscipiant a proprio ordinario, quem scilicet proprium agnoscunt, sive ratione originis, sive domicilii, aut beneficii, aut denique triennalis servitii: hæc omnia opportunis decretis definita fuerunt in congregatione particulari habita anno 1663, cujus resolutiones videri possunt relatæ per accuratissimum Rigantium tom. II, *De regulis cancellariæ*, regula 24, § 3, a n. 176 ad 185. Idem, *ibid.*, ad litter., § 16. Allegatæ autem resolutiones apud Rigantium, *lococit.*, sunt sequentes:

I. « Qui dicantur clerici in Urbe commorantes ad hoc, ut præfato edicto comprehendantur? »

Resp. « Qui habitant in Urbe, et in ea saltem per quatuor menses moram traxerint. »

II. « An clerici in Urbe commorantes accedentes ad proprium ordinariū, et ab eo suscipientes ordines absque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto supradicto? »

Resp. « Non afficiuntur edicto, si ab ipso ordinario suscipiant ordines, sed si ab alio ordinantur, etiam vigore dimissorialium proprii ordinarii. »

III. « Clerici in Urbe commorantes, et ab examinatore eminentissimi cardinalis vicarii rejecti, recipientes ordines a proprio

ordinario, an incidant in pœnas edicti? »
Resp. « Clerici ab examinatore eminentissimi cardinalis vicarii reprobati incidunt in pœnas edicti, etiamsi a proprio ordinario approbati ab eodem susceperint ordines. »

IV. « An clerici in Urbe commorantes ordinari possint etiam ab episcopis domicilii, beneficii, et ab eo cui triennale servitium personaliter præstiterunt ad formam S. C. Tridentini sess. xxiii, cap. 9, *De reform.* absque eo quod prius examinati fuerint ab examinatore juxta supradictum edictum. »

Resp. « Clerici in Urbe commorantes bene recipiunt ordines ab episcopo domicilii, beneficii, triennalis servitii præstiti, dummodo ab ipsismet episcopis ordinantur ad formam S. C. Trid. » Et huic resolutioni addi modo posset — *necnon ad formam constitutionis S. M. Innocentii XII incip. Speculatores.* Vide ad id jam tradita in tomo VI, verb. *Ordo*, artic. 3, numero 76.

(22. Vicarii basilicarum Urbis in actibus capitularibus præcedunt omnibus de capitulo etiam personali dignitate præstantibus. Idem, tom. I, constitut. 98 incipient. *Inter plures*, § 16.

(23. Vicarius metropolitani in synodis provincialibus antefertur episcopis suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet, et ratione personæ, quam repræsentat. Idem, tom. II, const. 36, incip. *Cum a nobis*.

(24. Vicarius ad regimen ecclesiæ curatæ vacantis statim ab episcopo deputari debet. Idem, tom. I, const. 68 incip. *Cum illud*, § 16. (25. Vicarii curati iam perpetui, quam ad tempus amovibiliter deputati, missam parochialem applicare debent pro populo diebus festis. Idem, const. 103, incip. *Cum semper*, § 4. (26. Eaque de causa congruis redditibus sunt providendi. Idem, *ib.*, § 9 et 10.

(27. Vicarius generalis in jurisdictione idem habet cum episcopo tribunal, ita ut ab uno ad alterum non detur appellatio; idem *De synodo diocesana* lib. II, cap. 8, num. 2, ut ex sacris canonibus jam adductis verb. *Vicarius*, art. 1, a num. 40 ad 44.

(28. Multa tamen nequit sine speciali mandato episcopi; adeoque sine tali speciali mandato nec potest synodum diocesanam convocare. Idem, *ib.*, n. 2, 3 et 4. Vide dict. verb. *VICARIUS GENERALIS*, art. 2 per tot., ubi fuse enumerantur ea, quæ potest, vel non potest vicarius generalis. (29. Debet, jubente episcopo, interesse synodo diocesana; (30. et expedit, ut episcopus id velit; idem, *ib.*, lib. III, cap. 3, n. 2, 3 et 4. (31. Non potest synodalis examinatore munus exercere sub nomine appellativo vicariatus; idem, *ib.*, lib. 4, c. 7, n. 5, ex decreto sacre congregationis Concilii, in *Polycastren. Parochialis* die 19 Septemb. 1735, quamvis in *Thesaurio resolutionum* referatur sub die 18 ejusdem anni; vide, tom. III, verb. *EXAMEN, EXAMINATORES* n. 23, ubi afferuntur alia ad rem. (32. Vicarius generalis in synodo sedet immediate post episcopum. Idem, *ib.*, lib. III, n. 2. (33. Nisi

legitima consuetudo alteri faveat. Idem, *ib.*, n. 3. (34. Aut dignitates et canonici sacris vestibibus induti assistant. (35. Secus si vicario consuetudo faveat; aut ipse etiam habitu prælatitio sit indutus; idem, *ibid.*, n. 4, ubi ad id plura scite et erudite suo more adducit.

(36. Vicarius capitularis jurisdictionem episcopalem ad capitulum devolutam, independentem ab ipso capitulo exercet. Idem, *ib.*, lib. II, d. 1; vide tom. II, verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 63 et seq., et supra verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, art. 1, n. 39.

(37. Vicarius capitularis potest sua auctoritate ordinaria conficere processus super fama virtutum et miraculorum servorum Dei, quos conficere potuisset episcopus. Idem, *ib.*, n. 2, et *De canonizatione sanctorum*, lib. II, cap. 2, n. 2. (38. Imo ab ipsamet Sede Apostolica ad vicarium capitularem quandoque diriguntur litteræ remissoriales pro conficiendis processibus Apostolicis super virtutibus et miraculis tum eorumdem servorum Dei, tum etiam eorum, qui jam in beatorum album sunt relati. Idem, *ib.*, n. 2, et cit. lib. II, cap. 45, n. 17.

(39. Quamobrem cit. num. 2, ingenue fatetur, nondum hactenus percipere potuisse, cur dataria Apostolica dispensationes, quæ ex mente Tridentini sess. xxii, *De reformat.*, cap. 5, extra curiam committendæ sunt ordinariis locorum, in quibus degunt illas impetrantes, nunquam consueverit committere vicariis capitularibus, quamvis easdem committere soleat vicariis generalibus. (40. Plura alia de vicario capitulari, vide tom. II, verb. *CAPITULUM*, art. 3, et supra verb. *VICARIUS CAPITULARIS*, ubi abunde de omnibus et insuper in dict. tom. II, verb. *CONCILIUM*, artic. 8, a n. 7 ad 9. (41. Ubi quod synodus provincialis non a vicario capitulari metropolitana vacantis, sed ab antiquiori episcopo suffraganeo est indicenda, ex decreto sacre congregationis Concilii, in *Tarraconensi* 13 Maii 1604. (42. Et quod absente, vel impedito, seu mortuo archiepiscopo, convocanda est synodus provincialis ab antiquiore episcopo ex suffraganeis, non autem ab episcopo exempto, quamvis antiquiore, ex decreto ejusdem congregationis, in *Burgen.* die 7 Aprilis 1649. (43. Alia de vicario capitulari vide supra verb. *CAPITULUM*, et verb. *ORDO*.

(44. Vicarius Apostolicus a Pontifice per se immediate, vel per sacram congregationem Episcop. et Regular. Ecclesiæ vacanti, vel plenæ præficitur triplici de causa, nempe, vel quia timetur de nimium diuturna sedis vacatione, vel quia episcopus ob senectutem aut adversam valetudinem inhabilis effectus est ad ecclesiam regendam, vel quia ab ejusdem Ecclesiæ administratione

suspensus vel remotus fuit; idem, *ib.*, lib. II, cap. 9, n. 7, ejus facultas modo amplior, modo strictior est; (45. cum pro sacre congregationis libito, aliquando ampliatur, et aliquando limitetur, prout exigunt rerum circumstantiæ, in quibus constituitur; (46. unde ne erret in ministerio, debet facultates sibi concessas accurate perpendere. Idem, *ibid.*, n. 7. (47. Potest, et debet sine episcopo Ecclesiæ, cui præfectus est, celebrare synodum diocesanam. Idem, *ib.* Vide supra verb. *VICARIUS APOSTOLICUS* per tot., ubi late de multis ad rem, et signanter n. 5, ubi quod ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursus, sicut et synodum, et declarare magis idoneum, ut declaravit sacra congreg. Episcop. et Regular., in *Licien.* 9 Junii 1608, et in *Bisidianen.* 16 Maii 1633, et n. 51 et 52. (48. ubi viginti assignantur diversæ justæ causæ, propter quas solet mitti vicarius Apostolicus, et duodecim propter quas solet removeri.

(49. Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte diocesis extra civitatem sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quandam exercent; cap. *Romana* 1, *De offic. ordinarii* in 6, et ab ipsis appellari potest ad episcopum. Idem, *ibid.*, lib. III, cap. 3, n. 5. (50. Antiquissimi sunt, et origo eorum ad chorepiscopos est referenda; (51. idem, *ibid.*, n. 7. Vide de chorepiscopis, tom. III, verb. *EPISCOPUS* art. 1, a n. 36 ad 41. (52. ubi qui ipsi fuerint, quod eorum officium, et quare ab Ecclesia sublato? (53. Vicarii foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borromæum esse cœperunt, ut in aliis locis; Idem, *ibidem*, n. 8, contra aliquos aliter sentientes; sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem; idem, *ibidem*, n. 9.

(54. Si parochi sint, synodo diocesana intervenire debent. (55. Si non sint, tenentur, si episcopus eos vocet, idque expedit, quoniam ab istis tanquam oculatis testibus melius, quam a vicario generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diocesis partibus occurrunt, et aliquam fortasse sanctionem exposcunt; idem, *ibidem*, n. 10.

(56. Vicarii temporarii a capitulis et monasteriis destinati curæ animarum in parochiis illis unitis, etiam sine causa removeri possunt; nec remotio in synodo prohiberi potest; idem, *ibid.*, lib. VII, cap. 65, n. 2, ex Rota in *Pampilonensi decis.*, 886, n. 29, *coram Cerro*; ubi cum contigisset, similem remotioem sine causa fieri, illam sustinuit, nulla habita ratione contrariæ synodalis constitutionis; vide verb. *VICARIUS PAROCHIALIS*, n. 49 et per tot.

VICINUS.

(1. Vicinus pluribus partibus, præfertur aliis vicinis in emptione domus; Benedi-

ctus XIV, tom. II, constitut. 39, incip. *Ad Centumcellas*.

VIDUA, VIDUUS.

Lubet sequentia expendere.

(1. Viduis, aut conjugatis, vel puellis viginti quinque annorum ætatem excedentibus, ut in habitu sæculari in monasteriis degant, absque sacræ congregationis, aut Romani Pontificis facultate non permittatur. Sacr. congregatio Episcop. et Regul. apud Barbosam, in *Summa Apost. decis.*, verb. *Vidua*, n. 1, et eadem sacra congregatio Episcop. 19 Julii 1647, et 14 Maii 1649, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Vidua*, n. 1, (2. et talis licentia non datur, nisi pro monasteriis numerosis. Eadem sacra congregatio Episcop., in *Brixien.* 15 Julii 1603, (3. et in casu obtentæ licentiæ debet vidua ingredi sola, nisi aliud concedat sacra congregatio. Eadem sacra congregatio Episcop. in *Januensi* 25 Octobr. 1602, in *Novariensi* 12 Maii 1604, in *Cæsaraugustana* 17 Januarii 1614.

(4. Moniales fieri non prohibentur viduæ. Sac. congregatio Episcop. et Regul., in *Faventina* 8 Februarii 1593, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 4.

(5. Et in locis vacantibus monasteriorum, quæ hujusmodi mulieres recipere consueverunt, non est necessaria licentia sacræ congregationis. Eadem sacra congregatio Episcop. et Regul., in *Fulginate.* Martii 1621, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 4.

(6. In professione recipere potest vidua velum professarum, sed non virginum, neque in hoc sacra congregatio dispensat. Eadem sac. cong. Episcop. et Regul., in *Fesulana* 20 Decemb. 1604, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 5.

(7. In abbatissam eligi non potest sine licentia sacræ congregationis. Eadem sacra cong. Episcop. et Regul., in *Cassanen.* 29 Januar. 1585, in *Forolivien.* 4 Novembr. 1611, in *Sarzanen.* 15 Julii 1616. (8. Licet matrimonium fuisset solum ratum et non consummatum. Eadem sacra cong. Episcop. et Regul., in *Spoletana* 12 Aprilis 1619.

(9. Vidua post mariti mortem, non potest

licite missam omittere ultra mensem; alias ab episcopo compellatur per censuras, non obstante quavis consuetudine, concil. *Mediolanem.*, part. 2, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ*, ibi: « Viduæ ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sint sine missæ auditione: qua in re nulla valeat excusatio ejusvis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item episcopi etiam censuris ecclesiasticis id facere cogant. »

(10. Vidua et viduus quando peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula præterita. *Vide* verb. *DELECTATIO MOROSA*, a n. 30 ad 32.

(11. Vidua nubens intra annum luctus obnoxia erat infamiæ, aliisque penis ex jure civili, ut patet ex l. *Liberorum* 81, ff. *De his qui notantur infamia* leg. 1, cod. *De secundis nuptiis*, et *Authentic. De secundis nuptiis*, § *Primo si quidem*, collat. 14, cum similibus. At vero ejusmodi leges abrogatæ sunt a jure canonico in cap. *Super illa* 4, *De secundis nuptiis*, ibi: « Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus secundum leges definitum, » Respondemus; « quod cum Apostolus dicat, mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui: in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam, et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur, » et in cap. *Cum secundum* 5, eod., ibi: « Cum secundum Apostolum mulier, mortuo viro suo, ab ejus sit lege soluta, et nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate; cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari. » Idem, *De synodo diœcesana* lib. vii, cap. 38, n. 6. *Vide* verb. *UXOR*, a n. 40 ad 43.

VIGILIA.

Hæc ad rem animadvertenda.

(1. Vigilia est solemnioris festi præventio instituta ab Ecclesia in præparationem ejusdem festi, præsertim observatione jejunii ac nocturnæ, ut antiquitus, vigilantia in Dei laudibus. Antiquitus enim præter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud ecclesias sanctorum, quorum festa præveniebant. Quarti part. 1, tit. 3, n. 2; Merati tom. I, sect. 4, cap. 7, n. 1, et alii passim. (2. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliæ, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur, et mos vigilandi de nocte, propter abusum, qui irrepperant, fuerit sublatu. Concil. *Sabinen.*, cao. 22, ibi: « Quia

igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpe, ac enormia sub hæc boni specie committuntur, ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus. » Sic apud Paravicinum in *Poliant. sacror. canonum.* verb. *Vigiliæ*, n. 3. Et sic tenent Honorius, in *Gemma* lib. iii, cap. 6; Gavanti, part. iv, tit. 13, n. 1; Durandus, in *Rationali* lib. vi, cap. 7, n. 8; Quarti, *loc. cit.*, n. 2, et alii. (3. Dictæ nocturnæ vigiliæ viguerunt non solum in primævis Christianorum temporibus, sed in variis Ecclesiis cathedralibus et aliquibus parochialibus continuaverunt usque ad xv sæculum, ut ex multis

ostendit Martene, in *Tract. de antiqua Ecclesiæ disciplina* cap. 7, n. 3, secutus a Merato, *loc. cit.* Unde Vigilantius hæresiarcha sui nominis hostis, qui sæculo quarto temerario ausu vigiliis improbat, confutatus fuit a S. Hieronymo a quo per jocum dicitur *Dormitantius*, et in concilio *Aquisgranens.* sub Ludovico Pio cap. 130, sic habetur: « Est autem quoddam genus hæreticorum superfluas existimantium vigiliis, et spirituali opere infructuosas, dicentium, jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem, qui hæretici Græco sermone Nyctazontes, hoc est somniculosi vocantur. » Ita apud Paravicinum, *loc. cit.*, n. 1 in fine.

(4. Vigiliæ nocturnæ viguerunt etiam ante legem evangelicam, tum apud ethnicos, tum apud Judæos, qui duodecim horas noctis artificiales dividere solebant in quatuor partes æquales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel brevitatem; nam in æstate erant breviores, in hieme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliæ militares dicebantur; et harum quælibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam, et dicebatur *Canticinium*; secunda incipiebat ab hora tertia, et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum*; tertia incipiebat ab hora sexta, et terminabatur in nonam, et dicebatur *Galicinium*; quarta, quæ proprie dicebatur vigilia matutina, incipiebat ab hora nona, et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum*.

(5. Prædictarum vigiliarum mentio fit in Veteri Testamento. De prima vigilia *Threnor.* ii, 18: *Lauda in nocte in principio vigiliarum.* De tertia *Judicum* vii, 59: *Incipientibus vigiliis noctis mediæ*; de quarta *Exodi* xiv, 24: *Jamque advenerat vigilia matutina.* In Testamento etiam Novo habetur multis in locis expressa mentio earundem vigiliarum, *Lucæ* ii, 8: *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigiliis noctis.* S. Matthæus, c. xiv, 25, de Christo loquens ait: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare*; et idem Christus Dominus *Marci* xiii, 35, dixit: *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Quod hic dixit sero, intelligit primam vigiliam noctis; quod hic dixit, media nocte, an galli cantu, *Lucæ* xii, 38, dixit: *Si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit*; et quod hic dixit mane, S. Matthæus cit. c. xiv, v. 25, dixit: *Quarta autem vigilia noctis.* Ethnicos quoque nocturnas vigiliis celebrasse in honorem suorum deorum ostendit card. Bona, *De divina psalmodia* cap. 4. Hæc ad litteram eruditissimus P. Merati tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, § *Hujusmodi vigiliæ.*

(6. Hinc tres matutini nocturni instituti fuerunt, ut responderent tribus vigiliis, sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat, et Laudes, ut responde-

rent quaræ vigiliæ sub lucis ortum; Amalarius, l. c.; Merati, t. II, sect. 4, cap. 1, vers. *Cæterum*, et alii.

(7. Vigiliæ nocturnæ fuerunt abolitæ propter abusum, qui irrepperant, ut ex concilio *Sabinensi*, et doctoribus allatis *supra* num. 2, dictum est.

(8. Abolitis supradicta ratione fere universaliter prædictis Christianorum vigiliis, solumque adhuc in aliquibus insignioribus Ecclesiis pie ac laudabiliter observatis, ut in Ecclesia Parisiensi, ad tradita per Græcolas, lib. i, cap. 23, in Ecclesia Toletana, ac in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis S. Crucis, in Ecclesia Cenomanensi in nocte S. Juliani, et in Ecclesia S. Martini Turonensis in nocte festi Transitus ejusdem sancti, ut ex aliis d. P. Merati, cit. tom. II, sect. 3, cap. 7, vers. *Abolitis*, et alibi, ut referunt alii, et per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini; et in pluribus regularium utriusque sexus ordinibus, qui diversis horis nocturnis surgunt ad Matutinum decantandum, ita ut in qualibet noctis vigilia aliquis regularis ordo surgat ad nocturnas laudes Deo persolvendas; remansit apud universalem Ecclesiam vigiliarum nomen, sive ad indicandum jejunium in ipsis observandum, sive officium divinum in ipsis recitandum.

(9. Jejunandum est igitur ex præcepto scripto in vigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V. et omnium Apostolorum, exceptis vigiliis sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac sancti Joannis evangelistæ, textu expresso in cap. *Ex parte vestra* 1, et cap. *Consilium* 2, De observatione jejuniorum. (10. Ideo autem excipiuntur ab obligatione jejunii dictæ vigiliæ sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac S. Joannis evangelistæ, « quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur; » sunt verba præcisa citat. cap. *Consilium*.

(11. Generali autem consuetudine vim præcepti habente, sive ex præcepto tradito, et non scripto, ut vult Cardenas, et alii theologo, jejunandum est in vigiliis Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii et festivitatis Omnium Sanctorum. Sic expresse sapientissimus P. Merati, tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, verb. *Abolitis* in fine, ubi recte subdit, quod præter dictas vigiliis, aliæ duæ in Breviario et Missali recensentur, id est Epiphaniæ et Ascensionis Domini, sed sine obligatione jejunii, solum ideo retentæ, quia in his solemnitatibus perinde ac in aliis, vigiliæ olim solennes in ecclesiis haberentur; tum ut de iis officium rite persolvatur. (12. Ideo autem in ipsis non jejunatur, quia nulla adest lex, seu consuetudo ad id obligans, ob lætitiæ Nativitatis Domini, et ejusdem Resurrectionis; quam ob causam neque jejunatur in vigiliis S. Joannis apostoli et evangelistæ, et sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ut dictum est *supra* num. 10, per expressum allatum textum, cap. *Consilium* 2, De